



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,
Soliloquia et Manuale**

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Oratio ad Sanctam Trinitatem, 31

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

dicitur Deus, omnibus personis æqualiter conveniunt: ut Deus magnus, omnipotens, æternus, & omnia quæ naturaliter de te Deo dicuntur. Non est ergo aliquod naturæ nomen, quod sic tibi Deo Patri convenire valeat; ut, aut Filio, aut Spiritui sancto convenire nequeat. Dicimus te Patrem naturaliter esse Deum, sed naturaliter est & Filius Deus, naturaliter est & Spiritus sanctus Deus: non tamen tres Dii, sed unus naturaliter Deus, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.

5. Idcirco inseparabilis es, sancta Trinitas Deus, in personis sensu intelligenda: quamvis voce separabilia habeas nomina: quia pluralem numerum in naturæ nominibus nullatenus recipis. In hoc enim ostenditur, personas non posse dividi in sancta Trinitate, quæ unus Deus verus est: quia cuilibet personæ nomen semper ad alteram respicit personam. Si Patrem dico, Filium ostendo: si Filium nomino, Patrem prædico: si Spiritum sanctum appello, alicujus esse Spiritum necesse est intelligi, scilicet Patris & Filii. Hæc est enim fides vera, veniens de sana doctrina: Hæc certe est fides Catholica & orthodoxa, quam me docuit Deus in sinu matris Ecclesiæ, gratia sua.

CAPV T XXXI.

Oratio ad sanctam Trinitatem.

1. **I**Nvocat itaque, Domine, te fides mea
quam dedisti mihi propter bonitatem
tuam

tuam ad saluationem mei. Fidelis autem anima ex fide vivit: tenet in spe, quod videbit in re. Invocat te Deus meus casta conscientia mea, & suavis amor fidei mea, quam, excussis ignorantiae tenebris, ad veritatis intelligentiam perduxisti: & quam à stulta saeculi amaritudine eruisti, atque adhibita tuae dulcedinis charitate, jucundam mihi & mellifluam reddidisti. Invocat te, beata Trinitas, vox clara & sincerus amor fidei mea; quam ab ipsis enutrens cunabulis, illuminasti semper per illustrationem gratiae tuae; & quam adaugens confirmasti in me, per documenta matris Ecclesiae. Te invoco, beata & benedicta & gloriosa una Trinitas: Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: Deus Dominus, paracletus, charitas, gratia, communicatio.

2. Genitor, genitus, regenerans, verum lumen ex lumine vero, vera illuminatio. Fons, flumen, irrigatio. Ab uno omnia, per unum omnia, in uno omnia. A quo, per quem, in quo omnia. Vivens vita, vita à vivente, viventium vivificator. Unus à se, unus ab uno, unus ab ambobus. $\omega\upsilon$ à se, $\omega\upsilon$ ab altero, $\omega\upsilon$ ab utroque. Veritas Pater, veritas Filius, veritas Spiritus sanctus. Vna ergo (Pater, logos, paracletusque) essentia, una virtus, una bonitas, una beatitudo: à quo, per quem, & in quo beata sunt omnia, quaecunque beata sunt.